

1380 multæ plebejæ familiæ ultro urbe exceſſerint, quarum pars maxima Venetias ſe contulit. Nec hoſtis ad Novale multum profecit: qui laborioſa feſſus obſidione, ſpeque potiundi oppidi amiſſa, motis caſtris, in Patavinos fines ſe recepit. Et quia jam hyems appetebat, diſiſo per opportuna loca milite, in hyberna eſt conſeſſum.

Hæc æſtate illa cum toto fere autumno circa continuentem geſta. In mari claffis Lauretani ductu Anconem admota eſt: inde in Hiſtriam tranſmiſſum, unde movens Venetus Breſcham Seniamque in ora Liburniæ ſubita vi adortus cepit, captasque diripuit: ſed ignis pluribus locis urbis temere injectus, Senianam prædam magna ex parte corrupit. Ad tam validæ claffis famam Corictani, relicta urbe, cum conjugibus & liberis in aſperos inſulæ montes trepide abierunt. Antiſtes ipſe Veneto venienti obviam progreſſus, continuo deditiorem fecit, Lauretanum ſuppliciter precatus, ut in deditam urbem nihil hoſtile committi pateretur. Ab injuria itaque temperatum, non tam præſenti officio, quam veterum regulorum in Venetos fide & amicitia, quam illi mutuo hoſpitiſmo uſque ad illa tempora, quibus Lodovicus Rex totam Dalmatiam Venetis ademit, ſtudioſe coluerunt. Inde ad Bocharim ap-puſſum: quod oppidum vi captum diripuit Venetus, direptum incendio conſumpſit. Claſſe hinc abducta, Polam Lauretanus venit, ubi de Caroli imperio publicis literis certior eſt factus: quod ingenti totius claffis læticia eſt auditum: erat enim propter vigorem animi poſt Piſanum maxime omnibus charus. Ab Pola ille Parentium tranſmiſit, quo paucis diebus Carolus applicuit, recognitiſſique hic navium turmis, ſenſit ad explenda remigia multos abeſſe. Igitur veritus, ne turmarum infrequentia naves cum hoſte congreſſas in diſcrimen aliquando adduceret, ſeptem triremibus priori numero ademptis, reliquarum turmas explevit: eas ita exutas (quia ſine remige bellorum uſum nullum præſtare poterant) domum dimiſit, Caballo Veronenſi cum omnibus terreſtribus copiis, quas ob Tauriſinum bellum Patres revocabant, in eas impoſito.

Tres